

tatem. Tract. 25. cap. 2. num. 1. Hæc inordinatio, quinque modis contingit, qui hoc verficulo continentur: *Preprope, late, nimis, ardentem, studioso.* num. 2. Comedere, & bibere ob solam voluptatem est peccatum gulæ; si quis moveatur quidem, applicetur, seu impellatur ex delectatione cibi ad illud percipiendum; principaliter tamen intendendo virtum augmentum, vel reparationem, tunc minime peccat. nu. 4. Gula non est ex genere suo peccatum mortale. Cæterum si quis ita inordinate appetat delectationem cibi, ut in ea expresse constituat ultimum finem; aut implicite, quia ob eam paratus sit transgredi legem Dei, tunc erit peccatum mortale. num. 5. Idem dicendum si propter gulam, paratus esset violare Ecclesiæ præcepta: si ob cibi intemperantiam grave scandalum proximo daret; si ex cibi quantitate, vel qualitate probabiliter timet se in aliquod grave peccatum prolapsurum: si ex cibi quantitate, vel qualitate saluti grave damnum imminet; & ob id gravissime peccant quædam feminae quæ sale, terra, cinere, carbonibus, luto, gypso, &c. vescuntur, nec absolvendæ sunt quouique se emendent. Quando quis ex certo genere cibi, aut potus, putat se nocturnam pollutionem passurum; non peccat mortaliter si illo bona mente utatur, nec sit periculum consensus. nu. 6.

59. Infirmus ardore febris æstuans, si aquæ potu refrigerium quærat, etsi prævideat ob id augendam esse febrim, non est statim mortalis culpæ damnandus, tum quia nocumentum est leve, tum etiam quia nimis ardor solet plenum rationis iudicium absorbere. Tract. 25. cap. 2. num. 7. Uique ad vomitum se ingurgitans, præciso gravi corporis nolemento, quod aliquando timeri potest, est tantum veniale peccatum. num. 8. Comedere carnes crudas belluissimum est: erit autem mortale, vel veniale juxta gravitatem damni, quod inde rationabiliter timetur; quod si necessitas ad id cogat, licitum erit. nu. 9. Humanis carnibus, extra extremam necessi-

tatem vesci, profus illicitum est, & ferinum. At in extrema necessitate fas est edere carnes hominis in bello occisi, aut a iudice interfecti, aut alia via emortui. num. 13. Gula est vitium capitale. Gulæ filia sunt quinque: habetudo mentis, inepta lætitia, stultiloquium seu multiloquium, scurrilitas, & immunditia. num. 17.

60. Sobrietati, quæ est virtus moderans affectum, & usum potus, qui sua fumositatem natus est caput conturbare, opponitur vitium ebrietatis. Est autem ebrietas excessus in potando, causa voluptatis, usque ad violentam usum rationis privationem. Est peccatum mortale. Tract. 25. cap. 2. num. 18, 19. Quando ebrietas non est voluntaria, nec mala ex ea immediate secuta voluntaria esse possunt, & ideo peccata non sunt. Si vero ebrietas sit voluntaria, & culpabilis, mala subsecuta, prævisa, aut que moraliter prævideri debebant, sunt peccata; quia voluntaria in causa. num. 26. Prævisa autem censentur, quæ in aliis ebrietatibus quis novit se consuevisse committere, sive sciat in qua specie peccavit, sive tantum sciat, se in aliquo genere peccasse. Reputatur etiam prævisum peccatum, ad quod quis est vehementer inclinatus, & insuper ea omnia, quæ communiter ebrii committere solent. Quæ autem nullam habent cum ebrietate connexionem, ratione personæ, loci, aut alterius circumstantiæ, sed casu eveniunt, aut ex malitia alterius ebrium provocantis; nec proinde eorum adesse morale periculum, minime peccata censenda sunt. nu. 27, 28, 29.

61. Peccata oris, seu quæ in verbis, ut verba sunt consistunt, ut sunt blasphemias, perjurias, contumelias non imputantur ebrio ut peccata, quando in ebrietate proferuntur, licet antea prævideantur, quia in ebrio non sunt formaliter verba; sed tantum materialiter, & quidem sonus tanquam a Pica prolatus, ac proinde nec objective mala, ut sunt peccata operis. Tract. 25. cap. 2. num. 30. Peccatorum operis in ebrietate commissorum gravitas mensurari debet ex advertentiâ, & vq.

& voluntarietate eorum in causa. n. 33. Probabilis est quod possit quis medicinæ causa, ex præscripto Medicorum, positionem inebriantem fumere; dummodo non addit aliud medicamentum efficacius ad recuperandam salutem. n. 35. Ad vitandam vero mortem quam quis minatur inferre alicui, nisi se inebriet, probabilis est non licere se inebriare; nam ebrietas ex præscripto Medici non est ebrietas formalis; bene vero in secundo casu. num. 45. Qui alium cogit ad se inebriandum, grave peccatum committit. num. 48. Paratum committere peccatum ebrietate gravius, non licet ad ebrietatem inducere, ut illud vitet: quia ad hoc ut minus malum licite consuli possit, parato majus committere, opus est quod illud minus contineatur sub illo majori malo: ut si quis parato aliquid occidere consulet verberare: & insuper oportet quod illud majus malum, alia via impediri non possit. nu. 51. 52. Qui culpabiliter se inebriavit, sed non prævidit homicidium, non fit irregularis, si in ebrietate occidat. num. 56. Habens consuetudinem se inebriandi, non est absolvendus, vel saltem differenda est absolutio donec constet de resipiscencia. nu. 67.

TRACTATUS VI.

De 6. & 9. Decalogi præcepto.

PROŒMIUM.

Prohibito homicidio, per quod vita hominis iniuste de medio tollitur, recto ordine sequitur, sub nomine Machiæ; prohibitio cuiuscumque luxuriæ, per quam ut hominis generatio impeditur, aut prolis tollitur certitudo, ejusque debita educatio; ut dicit D. Th. Igitur in hoc præcepto non solum prohibetur adulterium, sed & omnis alia

delectatio carnalis extra matrimonium habita: omnia quoque antecedentia, & consequentia: ut sunt tactus, oscula, amplexus, &c. & virtualiter etiam omne desiderium, omnique voluntas; & affectus deliberatus cuiuscumque rei venereæ. Tract. 26. cap. 1. n. 3. 4. 5. 6.

CAPUT I.

De luxuria, & de castitate in communi, & de simplici fornicatione, & impudicitia.

S. I.

De luxuria, & de castitate in communi.

1. **L**uxuria est usus, vel appetitus inordinatus venererorum. Tract. 26. cap. 1. num. 3. Est ex genere suo peccatum mortale. num. 10. Luxuriæ filia sunt octo: cæcitas mentis, inconsideratio, precipitatio, incostantia, amor sui, adium Dei, affectus presentis seculi, & horror futuri. Luxuriæ species sunt septem: Simplex fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium, & vinum contra naturam. num. 10. 12. Ista species non distinguuntur inter se essentialiter intra genus luxuriæ, sed solum accidentaliter: & ideo adulterium non est unica, & atomæ species constituta ex specie fornicationis, & injustitiæ; sed sunt ibi duæ species atomæ, inter se distinctæ, nempe fornicationis, & injustitiæ, quin ex utraque una tertia species constituitur. n. 19.

2. Principaliter, & de primario, Deus in hoc præcepto prohibet sub nomine adulterii omnem luxuriæ speciem, & omnes venereas delectationes; secundario vero præcipit, ut quilibet colat castitatem animi, & corporis, juxta proprium statum. Tract. 26. cap. 1. nu. 37. Castitas alia est improprie dicta: alia proprie dicta. Illa est puritas animi ab omni amore, & delectatione inordinata appetitus,

tus, seu ab omni labe peccati. Castitas vero proprie dicta est virtus que temperat, & moderatur concupiscentias in venereis, ne plus aut alio tempore, vel loco, aut modo homines illis delectentur, aut utantur, quam recta ratio dicitur, secundum uniuscujusque statum. num. 39. Duplex est scilicet perfecta, & imperfecta. Illa dicitur Virginitas, hæc vero castitas communiter appellatur; & subdividitur in conjugalem, & vidualem. Castitas conjugalis, & vidualis non distinguuntur specie a castitate communiter dicta, sed sub ea ambæ comprehenduntur, ut diversi gradus ejusdem virtutis. n. 42.

3. Virginitas est in carne corruptibili, incorruptionis perpetue meditatio. Tract. 26. cap. 1. num. 46. Est vera virtus a castitate communi distincta. num. 47. Ad hoc ut sit virtus specialis a castitate communi distincta, sufficit, & requiritur propositum eam perpetuo servandi. num. 50. 55. De Fide est virginitatem matrimonio esse excellentiorem. num. 63. Virginitas ut est virtus duo importat: unum est signaculi virginalis incorruptio; alterum est propositum abstinendi perpetuo ab omni venerea delectatione. Secundum est de formali, & quoad hoc virginitas potest dari tam in masculo quam in femina: primum vero est de materiali, & per accidens, & tantum in feminis invenitur. num. 69. In femina virtus virginitatis amittitur irreparabiliter per claustrum virginalis violationem, sive hoc fiat per copulam carnalem, sive aliis turpibus actibus: in viro autem amittitur per voluntariam copulam carnalem; & insuper tam in viro quam in femina irreparabiliter amittitur per voluntariam pollutionem. num. 72. 76. Si virgo infamia, in somnis, aut amens, aut per vim corrumpatur, nullo modo in hoc consentiens, virginitatem non amittit; & hæc, si res occulta sit, virginitatis velum accipere potest. num. 73. Licet virgo quæ voluntarie se polluit, virtutem virginitatis amiserit, si tamen corporis integritate adhuc conservet, potest con-

secrari, & velum virginitatis accipere. Episcopus dispensare potest cum moniali, quæ occulte fornicata est, ut possit consecrari, & velari, sicut cætera virgines, maxime quando id sine infamia, & scandalo omitti non potest. num. 75. 78. Per actum fornicationis si non sequatur feminis emissio, probabilis est non amitti irreparabiliter virginitatem. n. 81. 82.

S. II.

De simplici fornicatione.

4. Fornicatio simplex est concubitus humanus naturalis soluti cum soluta. Tract. 26. cap. 2. num. 3. Non solum jure divino, & canonico, sed & jure naturali prohibita est; & est peccatum mortale. n. 4. 6. 9. Concubitus licet possit in omni luxuriæ specie inveniri; tamen quia communiter exercetur inter solutos, ad simplicem fornicationem reducitur. num. 21. Concubitus ex jure canonico definitur: *Concubitus viri cum femina soluta, quam quis vel in domo propria, vel extra retinet, & ad quam frequenter, vel ex consuetudine accedit; sive retineat ut concubinam, sive ut pedissequam, quocunque alio titulo.* At ex jure civili ad concubinatum requiritur, quod ambo sint soluti, & absque impedimento ad contrahendum matrimonium: quod femina retineatur domi ut concubina, & publice habeatur ut talis: quod cum ea frequenter copulam habeat: quod cohabitatio sit diuturna: quod sit unica, & inferioris conditionis. Hic autem sermo est de concubinato in prioris acceptione. num. 22. 24. Neganda est absolutio etiam in mortis articulo concubinario, qui concubinam e domo ejicere non vult, cum possit; & licet in aliis occasionibus peccandi, quas sine scandalo gravi, aut detrimento deserere penitens non valet, possit absolvi, adhibitis convenientibus remediis ad futura præcavenda peccata; at existens in occasione concubinitus, fere nunquam ratione scandali vitandi, aut infamie quæ

quæ inde timetur, absolvendus est, quin prius concubinam dimittat. nu. 26. 27.

5. Si concubinarium publicum est, neque pro prima vice est absolvendus, donec concubinam dimittat e domo; vel si extra sit, donec confet ad eam non accedat; licet signa magni doloris, & efficacissimi propositi præbeat. Si vero est occultus, etiam tunc communiter loquendo absolvendus non est, donec dimittat. At si aliquo casu raro, in quo circumstantiæ occurrentes certo moraliter persuadeant Confessario, quod propositum sit firmum, & quod statim dimittet; poterit pro prima vice absolvi. Tract. 26. cap. 2. nu. 32. 33. Si quis ex ignorantia obligationis prius dimittendi concubinam, accedat ad Confessarium putans se sufficienter dispositum, si cum proposito dimittendi consistat, poterit pro prima vice absolvi. Si concubinarium est occultus, & concubinam domi non habet, etiam absolvendus non est, donec Confessario constet de emendatione. nu. 40. Non est absolvenda concubina, quæ postquam dimissa est, aliquando visitat concubinarium ægotantem, & maxime si velit in agone mortis tenere candelam, num. 41. Absolventi sunt filii famulias, & alii qui sui juris non sunt, & potestatem non habent abigendi a domo in qua habitant concubinam, & occasionem peccati, ut sunt servi, & ancille, dummodo observent quatuor conditiones: prima est vera contritio de præteritis: secunda verum propositum non redeundi ad illa; tertia speciale propositum cavendi, adjuvante Deo, ne peccent ob talem occasionem, cum in ea fuerint quarta. Quod subit aliqua notabilis causa, non se abstinendi ab ea occasione. num. 42.

6. Mulier pauper, & quæ non habet unde sustentetur, non est absolvenda si non dimittat domum divitis, vel consanguinei, a quo ex misericordia sustentatur, si cum domino, vel cum alio ibi commorante frequenter peccet, si motivum non dimittendi domum sit utilitas, aut commoditas quam ibi inve-

nit, & probabiliter timet; non inventuram alibi: si vero motivum non dimittendi domum sit aliquod grave damnum, quod inde sequeretur, scilicet grave scandalum, notabilis infamia, vel aliud iudicio prudentum grave detrimentum; tunc licet accedat cum dolore vero, & proposito firmo, & parata sit adhibere remedia a Confessario prescripta, poterit absolvi quin deserat dictam domum. Tract. 26. cap. 2. num. 43. 44. Nullus tenetur deserere artes licitas, & Republicæ necessarias, licet ob dictam exercitium frequenter cadat in peccata luxuriæ, sive interna, sive externa, dummodo prædicta quatuor observentur; tunc enim illa peccata in malitiam, vel fragilitatem refundi debent, non vero in illius artis exercitium. Hinc sequitur cogendus non esse deserere officium suum citharædos, magistros puerorum, officiales, & artifices, Medicos, Chirugos, & qui ad exercendas suas artes versantur inter mulieres. n. 46. 47.

7. Parochus obligandus non est deserere officium, quamvis occasione confessionum experiat voluntarie se pollui, dummodo firmiter proponat emendationem: Si vero Confessarius non sit Parochus, sed libere confessiones audiat, debet abstinere ab audiendis confessionibus, in quibus experitur occasionem se polluendi, nisi ex omissione exercitii audiendi confessiones feminarum, oriatur suspicio, quod fuerit officio privatus per S. Inquisitionis Tribunal. num. 48. Potest absolvi hospita, quæ quoties aliquem excipit, occulte rem habet cum illo; si proponat aut illum deinceps non admittere; aut si hoc sine magno incommodo facere non possit, si firmiter proponat se nunquam in aliquo cubiculo cum eo solo locuturam, aut versaturam, quia sub his circumstantiis, absolutionis capax est. Cæterum absolvi non debet, si consulto habeat in hospitio ancillam male famæ, aut eas toleret sciens hospitibus occasionem peccandi esse, eos ad turpia tacite, vel expresse alliciendo.

Et

Et ipse quoque ancillæ, compellendæ sunt hospitium deserere, & aliter absolvi non debent. n. 49.

8. Famulæ quæ rem habent aliquoties cum heris suis, si post admonitionem Confessarii parum curaverint de abstinendo a secreta conversatione cum heris, iterumque peccaverint, non sunt amplius absolvendæ. *Tract. 26. cap. 2. num. 50.* Ancilla, quæ non sit libera, si voluntarie cum domino peccet, absolvi non debet nisi respiscat: si vero violentiam patiatur, ita quod resistere nequeat, compellenda est fugere. *num. 51.* Fugere quoque debet uxor, & divorcium facere, si maritus sit ei proxima occasio peccandi, & ea abuti velit, aut eam prostituere, & admonitus non respiciat. *num. 52.* Monialis quæ per verba, tactus &c. pluries cadit cum devoto ejus conversationem frequentante, & omnino deserat, nisi aliàs sequatur scandalum, & infamia, si cum ceteris non communicet statutis diebus. *num. 53.* Non est absolvendus qui non dimittit concubinam, ne amittat centum aureos, quos illi mutuos dedit: non est enim tam grave damnum, quod a dimissione excusare possit. *num. 58.* Concubinariis gravissimæ poenæ jure civili & canonico statuta sunt, quas brevitas causa omitto. a *num. 59. ad 72.*

9. *Meretrice est, quæ mulorum libidini patet.* *Tract. 26. cap. 2. num. 73.* Meretrices incapaces sunt absolutionis, quousque larga experientia constat esse emendatas, & a Lupanari semotas; admittendæ tamen sunt ad confessionem, ut exhortationibus ad respiscendum excitentur. *num. 75, 76.* Ut ad communionem publice admittantur, debet quoque publice constare de earum emendatione, & recessu a turpi loco *num. 77.* Meretrices sine penitentia decedentes, privantur Ecclesiastica sepultura. Excommunicatio contra non communicantes in Paschate etiam meretrices afficit. *num. 78.* Ad majora mala vitanda, si aliter præcaveri non possint, si.

cite permittuntur meretrices. sed in publicis lupanaribus. *num. 93.* Debent collocari in viliori, & infimo civitatis loco, & semoto: nec permittendæ sunt die, aut nocte per civitatem vagari: cogendæ sunt uti habitu distincto ab honestis matronis: non est permittendum quod vehantur rhedis, lecticis, aut sellis: cogendæ sunt aliquando ad concionem accedere. *nu. 94.* Illicitum est imponere meretricibus tributum super questum meretricium. *num. 95.* Seclulo malo sine licitum est meretricibus locare domos. *n. 97.*

10. Famuli possunt licite servire meretricibus in iis actionibus, quæ sunt ex se indifferentes, ut cibos condire, lectum sternere, lectica vehere &c.; non vero in iis, quæ ex se sunt immediate ordinatæ ad fornicationem, ut literas amatorias deferre &c. *Tract. 26. cap. 2. num. 98.* Li quibus id publica auctoritate demandatur, licite possunt, meretricum supposita permissione, eas tueri, earumque incolumitati prospicere, ne cives morbo gallico inficiantur; dummodo tamen earum peccato non cooperentur, eas ad nundinas duendo, eis nummos largiendo, ut alio quovis modo meretricio questui favendo. His tamen Patronis pederetum impendenda est absolutio. *num. 100.* Lenones sunt, qui proprias, vel alienas feminas, questus causa, prostituunt. Unde proprie lenones sunt parentes, qui proprias filias, & mariti qui proprias uxores, questus causa, prostituunt. Lenones etiam sunt quicumque blandis verbis inducunt alios ad fornicandum. Omnes lenones, & lenæ gravissime peccant peccato ejusdem speciei, ac illud ad quod inducunt. Parentes lenocinium committentes, amittunt patriam potestatem, & aliis gravissimis poenis puniuntur. Immo in Auth. de len. Omnibus lenoniibus ultimi supplicii poena imponitur. *nu. 101, 102.*

§. III.

§. III.

De impudicitia.

11. Impudicia, ut ait D. Th. pertinet ad quosdam actus circumstantes actum venereum, ut sunt oscula, tactus, aspectus &c. *cap. 3. in proem.* Aspectus personæ alterius sexus, quoad partes honestas ex se non est illicitus: & si ex mera curiositate fiat, non excedit culpam venialem. *Tract. 26. cap. 3. num. 2.* Dimurnus aspectus mulieris nimis pulchre, & eleganter ornata poterit esse mortale ratione periculi. *nu. 3.* Ex fine vero lascivo semper est peccatum mortale. *num. 4.* Aspectus objecti valde turpis ob delectationem inde captandam, etiam si intendatur solummodo delectatio naturalis, est peccatum mortale. *num. 9.* Si objectum non sit valde turpe, & libidinem commovens non erit mortale, sed veniale, si absque necessitate aspiciatur. *nu. 10.* Quare aspiciere ex proposito mulieris verenda, aut humanum coitum, certum est esse mortale. *num. 12.* Propria verenda aspiciere ex curiositate, absque periculo turpis delectationis, vel consensus in eam, non est mortale. Similiter non est mortale aspiciere personas diversi sexus nudas & loco distanti, & per brevissimum tempus: item videre brachia, pedes, aut crura feminarum: item videre personas ejusdem sexus nudas, ut contingit, quando plures simul natant: item aspiciere brutorum genitalia vehementer commota, aut eorum coitum, secluso tamen in his omnibus periculo lapsus. *n. 13.*

12. Si mulier se exquisite ornet ob malum finem, peccat mortaliter: si ob vanitatem tantum, peccat venialiter si vero ut placeat viro suo, nullum erit peccatum. *Tract. 26. cap. 3. num. 15.* At poterit esse mortale, si talis ornatus vergat in grave damnum domus, vel creditorum. Fuco se pingere, præcisio malo fine, non est peccatum mortale. Nuda pectora, & mamillas ex parte

Part. I.

ostendere, maxime ubi est talis consuetudo, non est mortale; semper tamen increpari debent a Confessariis. *num. 16.* Choreas ducere ex genere suo non est illicitum, dummodo non in loco sacro, vel tempore divinatorum Officiorum, vel a Clericis ducantur, aut cum animo lascivo, tactibus turpibus &c. *num. 17.* Turpis locutio, si fit de rebus valde obicinis, at de humanis pudendis, de modo concubitus, & similibus, maxime coram adolescentibus, & mulieribus honestis, est proculdubio mortale peccatum. Si verba non sint nimis lasciva, & dicantur ex sola vanitate, absque periculo turpis delectationis, tam ex parte dicentis, quam audientium, talis locutio erit tantum peccatum veniale: idem de canentibus, & scribentibus. Turpia dicere, aut scribere disputationis causa licitum est, secluso tamen periculo. *num. 19.* Verba amatoria; secluso periculo lapsus, tam in dicente quam in audiente, & secluso malo fine, non sunt peccatum mortale. Scommata, & disticta turpissima, quæ frequenter Agalones, & similibus conditionis homines sibi invicem dicunt, non sunt peccata mortalia, cum non habeant rationem gravis injuriæ, nec ut talia accipiantur, & non serio, sed jocose dicantur, & sine turpi intentione. *num. 20.*

13. Qui se jaclat de peccatis lascivis mortaliter peccat. *Tract. 26. cap. 3. n. 23.* Familiaria colloquia cum feminis extraneis, si diuturna sint, & cum periculo lapsus, sunt peccata mortalia, ratione talis periculi. *num. 22.* Tactus, oscula, & amplexus ex genere suo non sunt peccata, sed actus indifferentes *num. 26.* Si fiant inter virum, & feminam juxta morem patriæ ad ostensionem amicitia, sunt honesta. *num. 27.* Moment tamen auctores, vitandum esse scandalum, ideoque indecens esse Clericos, & Religiosos his uti, tum erga feminas etiam sanguine conjunctas, tum erga pueros valde formosos. Osculari infantum carnes ex amore infantilis ætatis, non est peccatum. Cæterum

X

fi

si hæc fiant carnalis delectationis causa, erunt communiter mortale peccatum. num. 28. Tangere etiam fornicarum pudenda ex causa honesta, & necessaria non est illicitum, ut patet in Chirurgo medente: non tenetur tamen virginitatem, & matronæ honestæ hanc curacionem, per virum faciendam, in partibus pudendis admittere. Immo obsequium Deo gratum facient eligendo potius mortem, quam castitatis subire periculum. n. 29.

14. Tactus, oscula, & amplexus inter solutos ob delectationem veneream sunt peccatum mortale, licet nec fornicatio, nec ejus delectatio intendatur: est autem delectatio venerea *delectatio in carne confurgens ex motu humoris serosi, qualis est substantia seminis, & incallescens per commotionem spirituum generationi ferventium*. Alia est autem delectatio venerea sensibilis, cujus est præmissa definitio; alia delectatio venerea spiritualis, cum scilicet voluntas sibi complacet de re turpi, aut actu venereo cogitato, & communiter nomine gaudii explicatur; & hæc est venerea non per se, & proprie, sed per accidens ratione commotionis spirituum generationi ferventium, quam excitat: & hæc etiam est peccatum mortale, cum sit de re turpi in quantum tali. Tract. 26. cap. 3. num. 31. Tactus, oscula, & amplexus habita ob delectationem pure sensibilem, seu sensitivam, & naturalem, quæ ex ipsis oritur ob proportionem objecti tangibilis, qualis est quæ datur in tactu rei lenis, sistendo ibi, & secluso periculo pollutionis; aut delectationis carnalis, & venereæ; inter personas solutas & aptas ad coitum, metaphisice quidem, & speculative loquendo non sunt, peccata mortalia: sed quia moraliter impossibile est, quod in ea delectatione pure sensibili, & naturali sistatur, quin etiam adit prædicta commotio, & venerea delectatio, vel saltem ejus periculum: idcirco moraliter, & practice loquendo, inter personas solutas aptas ad coitum sunt peccata mortalia. Quod si habeantur

inter personas non aptas ad coitum, ut sunt infantes; poterunt eorum carnes ob sensitivam molliem osculari, & amplecti absque delectatione venerea, ut experientia patet in matribus, & nutricibus. Legatum relictum uxori sub conditione quod caste vivat, in probabiliore sententia non amittitur per oscula, vel tactus, sed solum per copulam consummatam. n. 41. 47. 48.

15. Tactus valde impudicus, scilicet in pudendis, & vicinis partibus, sine justa necessitate habiti, inter personas diversæ sexus solutas, sunt peccata mortalia. Aliqui graves Doctores excusant a culpa mortali, si dicti tactus supra vestes habeantur, & absque delectatione, & joco, aut levitate animi: quod licet admitti possit, ut speculative probabile, si fiant tum quasi per transennam, & absque continuatione, tum etiam absque scandalo, nec non supra vestes non subtiles, & delicatas; non tamen ut practice probabile admitti debet. Tract. 26. cap. 3. num. 49. Idem dicendum si prædicti tactus habeantur inter personas ejusdem sexus: & licet aliqui eos a mortali excusent, si fiant ex joco, aut levitate, absque animo turpi, ut accidere solet inter pueros narantes, hoc tamen non admittitur ut practice probabile, sed tantum speculative, si valde leviter, & per transennam fiat. nu. 50. Tactus in pudendis inter conjugatos, licet fiant ob solam illorum delectationem, & sine ordine ad copulam, dummodo absit pollutionis periculum, apud aliquos Doctores a mortali excusantur: verus tamen est prædictos tactus, tunc solum licere conjugibus cum sunt in statu proximo ad copulam, seu in loco ubi eam facile habere possunt; communiter enim tales tactus secum afferunt periculum pollutionis. num. 53. Tactus turpes in propriis verendis, cuiuscumque conjugii illiciti sunt, dum ab altero alteri abest; & copula facile haberi non potest. Tract. 9. cap. 15. num. 87. Delectatio morosa de cogitatione copulæ habita, vel habendæ, capta eo tempore, quo ipsa copula haberi non potest, se-

cun-

endum veniorem sententiam solummodo licet, quando est sine commotione spirituum generationi ferventium, quæ talem delectationem frequenter comitari solet, cum periculo pollutionis. ibid. num. 90.

16. Oscula, amplexus, & alij tactus, etiam si non in pudendis inter sponfos, probabilius esse mortalia si habeantur ob delectationem sensibilem, & carnalem ex ipsis ortam, sicut inter solutos. Tract. 26. cap. 3. num. 57. Femina advertens se ab alio libidinosè tangi, si tactus sit extrinsece honestus, quia juxta morem patriæ, & non potest eum sine scandalo præsentium vitare, eum permittere potest: si vero se retrahendo nullum scandalum sequatur, ut si fiat in secreto, tunc vitare tenetur, & se retrahere. Si vero dubitet, an tactus ex se honestus fiat animo libidinoso, non tenetur eum vitare; quia in dubio nullus præsumitur malus. num. 62. Tactus venereos in pudendis, vel circa ea, & oscula furtiva, sive in publico, sive in secreto nullo modo permittere debet; sed tangere volentem repellere tenetur, & si opus est, ut Susanna clamare. nu. 63. Levis manuū contactatio, aut pedum tæminæ calcatio, ob delectationem ex his ortam, in probabiliore sententia sunt communiter peccata mortalia. num. 65. Tangere propria verenda ob delectationem veneream, seu animo lascivo, quoad solutos est peccatum mortale: quoad conjugatos vero id solummodo licet quando sunt proximi ad copulam, & in ordine ad illam, si tamen absit periculum pollutionis. num. 67. Tangere propria verenda ex sola curiositate, vel levitate, aut causa calefaciendi manus, vel sedandi pruritus fricatione, non est mortale; immo si fiat ex causa justa, honesta, vel necessaria nullum erit peccatum. n. 68.

17. Contractare brutorum genitalia, licet fiat sine ulla venerea delectatione, sed solum ex curiositate videndi eorum semen, in probabiliore sententia est pec-

carum mortale; est enim actio valde indecens, & ad Venereum incitans. Tract. 26. cap. 3. num. 70. Concubitus cum muliere mortua, si fiat cum feminis effusione, est peccatum simplicis pollutionis in probabiliore sententia: & qui tale peccatum commisit, (nisi ex parte ipsius detur aliqua circumstantia mutans speciem,) solum tenetur dicere in Confessione: se voluntarie polluisse; si vero non sequatur feminis effusio, erit solum peccatum tactus obicæni. num. 74. Oscula, amplexus &c., quæ hucusque diximus esse peccata mortalia, diversificantur specie ex circumstantiis personarum, inter quas habentur. n. 76.

18. In genere luxuriæ dantur quædam objecta apud omnes gravia ut copula, pollutio, notabilis dissolutio, aut vehementis commotio partium generationi ferventium, nec non causæ in prædicta graviter influentes, ut genitalium tactus, aut diuturnus illorum aspectus: & quædam objecta apud omnes levia, ut modica genitalium commotio, & aliquæ causæ leviter ad luxuriam provocantes, ut aspectus faciei feminæ, ejus manuū, aut pedum tactus, digitorumque intorsio. Delectatio quoque venerea duplex esse potest, scilicet gravis, & levis. Gravis est quæ vehementer secum trahit carnis commotionem, vel notabiliter ad se rationem distrahit: levis vero quæ parum rationem attrahit, & modicam carnis commotionem excitat. Quælibet delectatio deliberate capta de objecto, seu de acta graviter venereæ, sive gravis, sive levis sit, est peccatum mortale. Item quælibet delectatio venereæ gravis, & vehementis ex parte actus deliberate capta de objecto, sive ex se gravi, sive ex se levi, est peccatum mortale, ratione vehementis influxus in pollutionem, ob quod objectum aliàs leve redditur grave. Tract. 26. cap. 3. num. 81. Quælibet delectatio venereæ, quæ tam ex parte actus, quam ex parte objecti in esse physico levis est, si expresse quaeritur propter se, & ex ejus intentione causæ applicentur, est peccatum mortale; quidquid in contrarium

aliqui dicant. Ac proinde tenendum est non dari in genere luxuriz parvitatem materiz. Immo contraria opinio post damnatam ab Alexandro VII. proposita. 40. omni practica probabilitate caret. num. 82. Non negamus tamen, quod aliquando in huiusmodi levis tactibus possit esse culpa venialis; sed hoc non evenit, quando ex eis deliberate queritur modica delectatio venerea: sed solum quando hæc delectatio indirecte queritur, vel ob levem negligentiam in præcedendo similes tactus, vel alias illius causas; vel ob inadvertentiam venialiter culpabilem in reprimendo delectationem surgere incipientem; vel quando ex joco, aut levitate, vel solo amore naturali, maxime absque pectada deliberatione influxus, quem ex se habent in veneream delectationem, similes tactus fiant. n. 94.

CAPUT II.

De stupro, raptu, adulterio, incestu, & sacrilegio.

S. I.

De Stupro.

19. **Stuprum est concubitus viri cum femina virgine, quo ejus integritas desolatur.** Vel si rigorose sumatur: est virginis per vim desolatio. Primo ad veram rationem stupri requiritur, quod detur copula consummata per seminationem intra vas. Nisi virginis desolatio fiat vi, mimis, dolis, precibus importunis, aut alio modo involuntarium faciente; sed ipsa virgine vel sollicitante, vel libere consentiente, probabilis est non committi stuprum proprie dictum, nec dari aliam novam malitiam, sive ex parte viri, sive ex parte femine in confessione aperiendam, præter malitiam simplicis fornicationis, etiam si sit sub dare, tenetur pecuniis damna compensare. Quod dictum est de violatore vir-

gine, intelligendum est etiam de violatore ejus, quæ solum in communi hominum opinione virgo est, & de violatore viduæ honestæ famæ. Quod si in occulto rem habuit cum corrupta, sive vidua, sive virgine reputata, ita ut ex tali copula nulla oriatur infamia, non tenetur eam ducere, nec dotem augere. num. 11. Si virgo vi, aut fraude violata, postea æque bene nubat, ac si vitata non esset, vel in Religione sponte, & libere profiteatur, ad nihil injustus violator tenetur; nisi aliter per sententiam judicis antea decilum fuerit, aut per conventionem inter partes stabilitum. num. 12. Si ante tempus nubendi moriatur, & nullum pactum præcesserit, aut sententia, nihil tenetur desolator hæredibus restituere. Similiter si ipsa violatori condonavit injuriam, & debitum dimisit, & a pacto absolvit: quam condonationem, & remissionem facere potest, etiam si sit sub cura parentum. n. 13.

20. Si virgo sponte consentiat, non tenetur vir in foro conscientiz eam ducere, dotem augere aut aliquid ipsi, vel ejus parentibus dare, ratione virginiz ablata; licet sub eorum potestate sit, & absque eorum consensu se violari permiserit; quidquid sit de foro exteriori, in quo cum præsumatur decepta, cogetur desolator eam ducere, vel saltem dotare: ideoque si falsa sit præsumptio, non tenetur ipse stare sententiz judicis in conscientia; nec mulier contra illum agere potest: immo & ad refarciendam damna tenetur, si se deceptam fingens, cogat desolatorem aliquid dare, vel expensas facere in prosecutione litis. Si desolator sit dives, & femina pauper, aliquid in dotem dare tenetur, quia sub tali implicito pacto consensisse censetur; & ideo in quocunque eventu debet Confessarius aliquam pœnam pecuniariam violatoribus divitibus imponere, virginiz desolatoris solvendam. Tract. 13. cap. 3. nu. 1. 2. 5. 6. Si ex desolatoris malitia, quia de tali desolatione se jactavit, aut quia factum incaute retulit, infamia parentibus puellæ obvenerit; tenebitur corruptor eis satisfacere, & puellam vel ducere, vel dotare, aut saltem dotem augere, ita quod possit æque bene nubere, ac si factum propalatum non fuisset. n. 7.

21. Qui vi, fraudibus, vel minis virginem violavit, tenetur compensare omnia damna honoris, & fortunæ ipsi, ejusque parentibus obvenerint, & vel ipsam ducere, vel dotem augere, ita quod æque bene nubat: & poterit etiam ad ducendam vel dotandam, per judicem obligari in criminis pœnam. Tract. 13. cap. 3. nu. 8. 9. Qui per vim, vel fraudem puellam violavit: fingendo se nobilem, aut divitem, qui non erat; si ipsa noluit eum accipere, vel parentes nolint eam ipsam ducere, tenetur pecuniis damna compensare. Quod dictum est de violatore vir-

gine, intelligendum est etiam de violatore ejus, quæ solum in communi hominum opinione virgo est, & de violatore viduæ honestæ famæ. Quod si in occulto rem habuit cum corrupta, sive vidua, sive virgine reputata, ita ut ex tali copula nulla oriatur infamia, non tenetur eam ducere, nec dotem augere. num. 11. Si virgo vi, aut fraude violata, postea æque bene nubat, ac si vitata non esset, vel in Religione sponte, & libere profiteatur, ad nihil injustus violator tenetur; nisi aliter per sententiam judicis antea decilum fuerit, aut per conventionem inter partes stabilitum. num. 12. Si ante tempus nubendi moriatur, & nullum pactum præcesserit, aut sententia, nihil tenetur desolator hæredibus restituere. Similiter si ipsa violatori condonavit injuriam, & debitum dimisit, & a pacto absolvit: quam condonationem, & remissionem facere potest, etiam si sit sub cura parentum. n. 13.

22. Si vir repetitis precibus, vel muneribus, aut promissis virginem ad propriam desolationis consentium induxit, non tenetur eam ducere, vel dotem augere, ahave damna reparare; nisi precibus accedant minæ, aut metus reverentialis, vel magna importunitas, quæ arbitrio prudentum violentiæ æquiparetur. Tract. 13. c. 3. nu. 14. 15. Si vir cepit virgini vim inferre amplexibus, osculis, tactibus, deinde ipsa consentiat, non liberatur desolator a reparatione damnorum. num. 16. Qui virginem matrimonium promissit, sive ex animo, sive fide, & sub ea spe ipsam desolavit, tenetur eam ducere, & non satisfacit ipsam dotando, aut de nuptiis providendo. Quod si viro matrimonium offerente, puella nullo obstante impedimento ipsum recuset, vel parentes nolint eam ipsi dare, ad nihil ultra tenetur. Si post factum contingat puellam cum alio rem habere; prior nec illam ducere, nec aliquid dare tenetur, non obstante matrimonii promissione. num. 17. Si puella virum decipiat virginem se asserendo, quod postea sal-

sum esse certo cognoscatur, ad nihil tenetur vir quamvis promiserit. num. 18. Si illa virum non decipiat, sed hic patans virginem esse, sub promissione matrimonii eam cognoscit, quam non esse talem certo compertit: adhuc probabilis est non teneri eam ducere, aut dotem augere, aut de nuptiis providere; dummodo factum sit occultum, & ex parte viri minime divulgatum: debet tamen aliquid dare pro consensu in copulam, attenta qualitate personæ, aliique circumstantiis. n. 19.

23. Qui antea votum castitatis, vel Religionis emiserat, & postea sub promissione conjugii virginem desolavit: si ipsa votum ignoravit, & omnem aliam satisfactionem recuset, adhuc probabilis est non teneri desolatorem eam ducere, sed satisfacere, eam dotando, vel de nuptiis providendo. Si virgo alia satisfactione contenta sit, quam potest vir exhibere, non potest cum ea contrahere, sed debet votum implere. Si desolator prædictus non potest alio modo damna virginis, quæ ignorans votum, passa est se violari sub promissione conjugii, compensare, tenetur cum illa contrahere, obtempera prius dispensatione voti. Si virgo de tali voto notitiam habebat, non potest licite pro nuptiis cogere, quia non bona fide processit, nisi forte persuasa sit ab illo, se faciliter dispensationem obtenturum; nec ipse eam ducere tenetur, nec alio modo dotare. Tract. 13. cap. 3. num. 20. 22. 23. Vir qui sive cum virgine, sive cum alia non conjugata rem habens, filium ex ea suscepit, vel, vel fraude copulam extorsit, ex qua proles procreata est, tenetur ex justitia nutrire, & alere partum a principio, & solvere omnes expensas ventris, & omnia damna ex tali concubitu, & conceptu subsecuta. At si femina consentiente copula habita est, tenetur ipsa partum alere tribus prioribus annis; & deinceps vir usque dum proles sibi de necessarii providere valeat: Et hæc obligatio alimentorum præbendi est de jure naturæ, & pietatis, non vero de rigore justitiæ. n. 25.

24. Stuprator virginis ex jure divino, & canonico eam ducere, vel dotare tenetur. Si eam ducere nolit, eam dotem dare debet, quæ sufficiat, ut æque bene nubere possit, ac ante deflorationem potuisset: Tract. 26. cap. 4. num. 15. Si stuprator fuerit honestæ conditionis, punitur publicatione dimidiæ partis bonorum; si vero humilis conditionis, fustigatione, & relegatione punitur. Si quis per vim, seu violentiam exteriorem virginem cognoverit, capite plectitur. Sive stuprum fuerit in virginem, sive in viduam honeste viventem, sive in puerum, eadem capitis pœna punitur. Si tale stuprum sine exteriori violentia committatur; sola pœna simplicis fornicationis, ac proinde arbitraria punitur. Si tutor, vel curator stupret pupillam, seu minorem respectivè durante tutela, seu cura, punitur deportatione, & publicatione bonorum. Qui puellam stupravit, ut eam duceret uxorem, non subjacet pœnis prædictis a jure statutis. Si servus stupret filiam domini sui, vel dominæ suæ, vel etiam ipsam dominam, igne crematur. Et si mulier passa est ab ipso cognosci, tunc & ipsa plectitur. num. 16. Stuprator qui propter inopiam puellam dotare non valet; fustigatione, & exilio punitus, si postea ad meliorem fortunam deveniat, non tenetur amplius eam dotare. num. 17. Qui virginem immaturam, (nempe minorem 12. annis) defloravit minis, aut precibus importunis, pœna arbitraria punitur. Qui vero cum violentia corporali, pœna mortis punitur. num. 19. Pœna Clerici stupratoris hodie est arbitraria, nempe vel suspensionis, vel depositionis, vel pecuniaria: semper tamen dotanda est virgo. Si vero etiam violentia corporalis adhibita fuit, ultra prædicta, detrudendus est in carcerem, vel monasterium. n. 21. Crimen stupri est mixti fori, si a sæculari commissum est; si vero ab Ecclesiastico, solius Ecclesiastici fori est. n. 23.

S. II.

De raptu.

25. Raptus dupliciter accipitur: & prout est impedimentum matrimonii; & prout est species luxuriæ. Sub prima acceptione definitur: *Violenta fœminæ abductio de loco ad locum causa libidinis explendæ*. In secunda acceptione communiter definitur: *Violentia facta personæ, aut his, sub quorum cura est, causa libidinis explendæ*. Tract. 26. cap. 4. num. 25. 27. Ex traditis definitionibus patet differentia inter utrumque raptum, & etiam inter raptum & stuprum. Ad raptum prout est impedimentum requiritur; quod persona rapta sit fœmina, & quod abducatur a loco ad locum: ad raptum vero prout est luxuriæ species, non requiritur abductio, nec quod persona sit fœmina; sed sive viro, sive fœminæ cuique inferatur vis, causa libidinis explendæ datur raptus num. 25. 27. Ad rationem stupri requiritur violatio claustrii virginalis puellæ violenta, per copulam consummatam, cum seminatione intra vas; & consequenter requiritur virginitas in persona quæ defloratur. Ad rationem autem raptus, nec requiritur virginitas in persona, cui violentia inferitur, nec requiritur copula, sed sufficit quod animo explendæ libidinis, tali personæ, sive sit virgo, sive non, violentia inferatur, aut eis sub quorum cura est. num. 28. 31. Quando fœmina libenter consentiens cognoscitur, resistens tamen parentibus, datur raptus num. 28. Si fœmina, quæ sui juris est cum amasio domo egrediat, licet repugnet frater, & alique ejus propinqui, raptus vere non est. Si precibus importunis mota consensum copulæ præbet, datur raptus. Idem dicendum si metu reverentialis superioris, ad concessum inducatur; si dolo, vel fraude cognoscatur non erit raptus; quia esto dolo & fraus involuntarium causent, non tamen vim inferunt. num. 29. Si fœmina libenter cum amasio a do-

mo

S. III.

De adulterio.

mo paterna discedat, causa libidinis, parentibus id ignorantibus, ideoque nec contradicentibus, non est raptus, sed fuga. n. 30.

26. Raptor mulieris honestæ, & qui illum comitantur tempore delicti, jure civili pœna capitis puniuntur; & eorum bona mulieri rapte adicienda sunt. Si parentes, conjuncti, vel tutores in fragranti raptorem deprehendant, eum impune occidere possunt. Etiam, & potiore titulo raptus monialis, aut mæculi, capitali pœna puniendus est. Raptor meretricis arbitraria pœna punitur: si tamen meretrix jam nupta sit, pœna ordinaria puniendus est. Jure canonico raptoribus pœna excommunicationis imponitur: matrimonium contrahere prohibentur: & fiunt servi mulieris rapte: eorum bona mulieri rapte applicantur; aut monasterio, si rapta sit monialis. Si sunt Clerici deponuntur. De pœnis a Tridentino statutis videatur Iess. 24. cap. 6. De reformatione. Hæc tamen pœnæ Tridentini non incuruntur nisi propter raptum, causa Matrimonii. Tract. 26. cap. 4. num. 32. Maritus ante bimestre, vim inferens uxori eam extrahendo de domo paterna, vel cognoscendo volentem privilegio uti suo, peccatum raptus in probabiliori sententia committit. num. 35. Si sponsus sponfam de futuro rapiat violenter, causa matrimonii, committit crimen raptus, & subjacet pœnis Tridentini; quas tamen minime incurrit, si sponfam consentientem rapiat; intendit enim Tridentinum favere libertati matrimonii: nec subjacet aliis pœnis a jure, civili seu canonico statutis, sed tantum pœnis arbitrariis. num. 36. 37. Si fœmina virum rapiat, ei vim inferendo pro turpi congressu, peccatum raptus committit; & est circumstantia necessario in confessione explicanda. Tract. 24. Disp. 8. n. 169.

27. Adulterium est accessus ad alienum torum; seu violatio alieni tori. Tripliciter committitur, scilicet per accessum conjugati ad solutam soluti ad conjugatam, & conjugati ad conjugatam. Tract. 26. cap. 5. n. 1. Est peccatum gravissimum, majus fornicatione, & furto. n. 3. Datur peccatum adulterii, licet complices conjux consentiat; nam etiam consentienti non fiat injuria, fit tamen sacramentum, talem copulam prohibendum. n. 8. Copula cum desponsata per verba de futuro, quoad forum internum non est proprie adulterium; bene vero si sit desponsata per verba de presenti, licet matrimonium non fuerit consummatum, licet copula cum desponsata per verba de futuro non sit proprie adulterium, est tamen peccatum speciei diversum a simplici fornicatione; & circumstantia sponsalium debet in confessione explicari. nu. 9. 10. 11. 12. Copula sodomitica, ultra propriam speciem peccati contra naturam, contrahit etiam in probabiliori sententia, si habeatur a persona conjugata, malitiam adulterii, quamvis fuerit inter maritum, & uxorem suam: ideoque in confessione dicendum erit cognovi præpostere uxorem meam. nu. 15. 17. Conjugatus carnaliter cognoscens conjugatam, duplex adulterium committit; & debet in confessione utriusque conjugii circumstantiam explicare. num. 18. Adulterium quoad fractionem fidei, est æque grave in viro ac in muliere, ceteris paribus, sed quoad damna inde manantia, gravius est in uxore. num. 19.

28. Licet adulterium sit contra justitiam, (si partus non sequatur, vel aliud damnum,) præcisè ratione ipsius adulterii, & injuriæ per illud conjugii irrogatæ, nihil restituere tenetur adulter. Tract. 13. cap. 3. nu. 27. Certum est apud omnes quod si adulter certo moraliter sciat, prolem ex adultera natam

nam esse suam; vel quia vir ejus toto illo tempore absuit, vel non cohabitavit cum uxore, vel æger erat, & ad usum matrimonii impotens, vel ex aliis manifestis conjecturis, & signis, tenetur restituere omnia quæ impensa sunt a marito ad prolem alendam a tertio ætatis anno, & deinceps, licet adulteræ non fuerit suppositionem. Tenentur etiam parentes Hospitali restituere, si filium ex adulterio susceptum exponant, (& idem dicendum de aliis, qui filios Hospitalibus alendos exponunt, si divites sint:) pro expensis proli nutriendæ, si sufficientes sint ad ipsam alendum. Improbabilis tamen non est sententia asserens: non esse de rigore justitiæ quidquam Hospitalibus restituendum a parentibus etiam divitibus, qui ut infamiam, vel notam evitent, filios ex illicita copula susceptos exponunt; quia in gratiam salium parvulorum talia loca erecta sunt. n.28. 29.

29. Si adulter dubitet prolem non esse suam, ex probabilibus conjecturis, legitima reputanda est, & ad nihil tenetur, etiam si adsint pro utraque parte rationes probabiles; quare si tempore, quo adultera concepit, maritus cum ea habitabat, non tenetur adulter credere prolem esse suam, etiam si adulteri similitudinem referat in vultu; immo etiam si mulier juret esse adulteri; quia in his casibus semper possessio stat pro matrimonio. Tract. 13. cap. 3. nu. 30. Si adultera, vel alia fornicaria cum duobus eodem tempore converteretur, & non habeantur signa manifesta ad cognoscendum cujus sit proles, manet uterque vir liber ab obligatione alendi, aliæque damna refarciendi, ita ut solum a matre alii debeat, juxta probabilior sententiam. num. 31. Si Adulter fuit causa suppositionis proli, quam certo scit esse suam, quia vel suavit, vel procuravit, ut adultera prolem adulteriam marito supponeret, fingeretque esse legitimam, tenetur præter alimentum a tertio anno impendenda, ad refarciendum omnia damna filiis legitimis, ex tali suppositione obvenientia, in

partitione hæreditatis, successione legitima, &c. ita ut tam ipse quam adultera, æque principaliter pro rata, teneantur dicta damna refarcire, & quilibet eorum in solidum altero deficiente. nu. 34. Etiam si adulter suppositionem, non procuraverit, nec suaverit, probabilis est adhuc eum teneri modo explicato, non minus quam adulteram, de qua certum est; nam uterque sua iniqua actione damnorum causa fuit. n.36.

30. Mater ex adulterio filium suscipiens, si certo sibi constet esse prolem adulteri, (in dubio enim, vel etiam cum probabilitate utriusque partis, non tenetur eum spurium judicare, aut quidquam propter hoc restituere, ut dictum est de adultero,) tenetur omnibus modis, quibus potest sine dispendio vite, aut famæ, procurare ne hæres, ratione illius illegitimi, damnorum patiantur: & sic debet procurare meliorem legitimum a se, vel a marito faciendam; & quæ extraneis dare, aut relinquere potest, illis impertiri in competitionem; & si bona paraphernalia habuerit, ea legitimis relinquere; laborare in quantum suo decet statui, & si quid lucri inde acceperit, legitimis dare; solitos sumptus minuire quantum commode potest, attentam suam conditionem; & valetudine: spurium ad Religionem successione incapacem capelendum inducere, si idoneus fuerit, vel etiam Religionem incapacem successione, cum renunciatione in aliorum fratrum commodum; & aliis modis, quibus si plene satisfaciatur damnis aliorum, ad nihil amplius tenetur, & permittere potest, quod ille notius in hæreditate succedat. Tract. 13. cap. 3. nu. 37.

31. Si mulier honestæ famæ, & quæ communiter ut talis habetur, spem moraliter certam non habeat, aut præcavendi, aut dicta damna compensandi, nisi cum suæ vite, aut famæ dispendio, & revelando suum crimen, ad id minime tenetur, etiam si amplissima hæreditas, primogenitura, aut etiam Regnum devolui deberet ad spurium. Quin immo filius ipse, (nisi aliunde convin-

catur,)

catur,) non tenetur matri etiam juranti, & etiam in periculo mortis, credere se esse spurium; quamvis non ignoret, illam fuisse adulteram; & valde stultus esset, si crederet. Tract. 13. cap. 3. num. 38. 39. 40. 42. In casu tamen quo ex devolutione Regni ad illegitimum, qui esset malæ indolis, & dissolutus ex exclusione legitimi successoris optimæ indolis, & bonæ spei, immineret grave damnorum bono communi, tunc si per revelationem criminis impediri posset successio illegitimi, ad id tenetur mater etiam cum vite, & famæ dispendio. num. 43. Adulterium ab omnibus gentibus utriusque, gravi poena punitur. In lege veteri lapidabantur adulteri. Nunc autem ex jure canonico adulteri primo excommunicantur. 2. Adultera in monasterium detruditur ad agenda perpetuam poenitentiam. 3. Clericus adulterium committens deponitur, & in monasterium detruditur. Ultimo in adulteros jure civili statuitur poena capitis. Tract. 26. cap. 5. n. 5. 6. Ultra has, poenas adultera amittit dotem, quæ per judicis sententiam debet applicari marito. Item amittit donationem propter nuptias, & lucrum dotis; sed hæc omnia recuperat, si vir adulterium committat. Adulteri amittunt jus petendi debitum conjugale; & potest inter eos fieri divortium. nu. 7.

S. IV.

De Incestu.

32. Incestus est copula illicita cum persona consanguinea, vel affine, intra gradus prohibitos. Consanguinitas autem, vel affinitas ex legitimo matrimonio contracta, extenditur usque ad quartum gradum, ex fornicatione vero usque ad secundum inclusive. Tract. 26. cap. 5. num. 20. Est crimen mixti fori. nu. 23. Verior opinio est non omnes incestus esse ejusdem speciei; sed incestum inter affines, differre specie ab incestu inter consanguineos; & incestum inter con-

Para I

sanguineos lineæ rectæ, ab incestu inter consanguineos lineæ transversalis; & incestum in primo gradu consanguinitatis, aut affinitatis utriusque lineæ, ab incestu in aliis gradibus respectivis ejusdem lineæ. num. 28. "Incestus cum" filia differt specie ab incestu cum matre. Tract. 24. Disp. 8. nu. 141. Incestus cum persona spirituali cognatione conjuncta, differt specie ab incestu cum consanguinea, vel affine. Tract. 26. cap. 5. num. 29. Idem dicendum de incestu cum persona conjuncta cognatione legali; & opus est in confessione explicare gradum cognationis, tam legalis quam spiritualis; Peccatum enim baptizantis, aut patris cum persona baptizata se habet sicut peccatum patris cum filia: copula autem baptizantis cum matrina, vel patris cum matre baptizati, aut matris cum patre baptizati, se habet sicut copula fornicii cum matre generi sui. nu. 40.

33. Ad incestum reducitur, & est species distincta a simplici fornicatione, copula cum consanguinea in primo gradu sponsæ de futuro, & explicari debet in confessione. Tract. 26. cap. 5. num. 41. Ad incestum quoque reducitur in probabiliore sententia copula Confessarii cum penitente, cujus est Confessarius ordinarius ad tale munus electus; (quod enim semel, aut raro ejus confessionem audierit, non sufficit ad filiationem veram confessionis;) & est circumstantia in confessione aperienda; & est etiam sacrilegium. Idem dicendum de Episcopo, & Parocho respectu suarum ovium, sunt enim ex officio eorum patres spirituales. num. 42. 43. Distinctio specifica in incestu contrahitur, non solum per copulam naturalem, sed etiam juxta probabilior sententiam, per copulam idiomiticam inter personas ejusdem, sive diversæ sexus; & debent explicari gradus cognationis, sicut dictum est de copula naturali. Quemadmodum etiam explicari debent dicti gradus ab iis qui consanguineam, vel affinem turpiter tangunt, aut cum ea se polluant, pro-

Y

per

propter specialem incestus malitiam .
Tract. 24. Disp. 8. nu. 143.

s. V.

De Sacrilegio .

34. *Sacrilegium* prout est species luxuriae est violatio rei sacrae per actum carnalem . Committi potest tripliciter . 1. in personam sacram : 2. in locum sacrum : 3. in rem sacram . Et hæc est divisio essentialis in membra specie diversa . Tract. 26. cap. 6. num. 3. *Sacrilegium* in personam sacram tripliciter committi potest : primo quando persona Sacra, seu Deo per votum castitatis dicata, actus lascivos ; aut copulam habet, aut habere desiderat cum persona non sacra : 2. quando luxuriose peccat, vel peccare cupit cum persona pariter sacra : 3. Quando persona non sacra luxuriose peccat, aut peccare desiderat cum persona sacra . num. 4. Quando utraque persona sacra est, duplex committitur sacrilegium, & utrumque debet in confessione explicari . num. 5. Religiosus professus Sacris initiatus, contra Castitatem peccans, unicum sacrilegium, committit . num. 7. Persona sacra inducens non sacram ad peccandum contra castitatem, in probabiliore sententia committit sacrilegium contra proprium votum . num. 10. Habens votum solemnem castitatis, si aliud votum emitat non se polluendi, & postea se polluat, unicum sacrilegium committit . num. 11. Religiosus, vel quælibet alia persona habens votum absolutum castitatis, si morose delectetur de turpi objecto cogitato, sacrilegium committit . nu. 13. Voto castitatis absoluto ligatus, si alium non ligatum voto, propriis manibus polluat, aut impudice tangat, etiam absque propria sui delectatione, sacrilegium committit . num. 15. " Copula fidelis " cum infidelis contrahit speciem sacrilegii contra reverentiam Christianæ Religionis, in probabiliore sententia . Tract. 24. Disp. 8. n. 139.

35. *Sacrilegium* contra locum sacrum

committitur, non solum per copulam illicitam, aut per feminis voluntariam effusionem, sed in probabiliore sententia, etiam per copulam maritalem, absque necessitate habitam, & per omnes alios actus valde impudicos, ut tactus, & offensio verendorum, & similia . Tract. 26. cap. 6. num. 21. secus dicendum de aliis actibus minus lasciviis, licet mortaliter peccaminosis, ut aspectus lascivus mulieris, sermones obscæni submissa voce habiti, tactus manuum, vel pedum, &c. num. 23. Peccata interna contra castitatem tunc sunt sacrilegia, ratione loci sacri, quando circumstantia loci se tenet ex parte objecti, ut si quis desideraret fornicari in loco sacro ; secus si se teneat ex parte subjecti, ut si existens in Ecclesia, desideraret fornicari extra illam . num. 24. Etiam per secretam feminis effusionem voluntariam, probabilis est committi sacrilegium : ad hoc tamen ut Ecclesia reputetur polluta, requiritur quod pollutio sit notoria, n. 26.

36. Nomine loci sacri in hac materia veniunt : Ecclesia consecrata, aut benedicta, cæmeterium, sepultura, omnique alia loca intra ipsum corpus Ecclesiæ existentia ; non vero turris, aut camera Ecclesiæ contigua, aut sacristia adhærens, aut loca supra tectum, aut sepultura subtus Ecclesiam ; & idem dicendum de Claustro, dummodo non sit simul locus ad sepeliendos fideles deputatus . Tract. 26. cap. 6. num. 27. &c. Oratoria publica veniunt nomine Ecclesiæ ; Oratoria vero privata particularium domorum, vel existentia in interioribus Conventus partibus, aut Novitiis, etsi in illis Missa celebretur, non sunt loca sacra, quia possunt privata auctoritate in profanos usus converti : ideoque nec pollutio, nec copula in illis habita constituit sacrilegium ; nisi in illis ex concessione Summi Pontificis habeatur SS. Sacramentum . Publica Oratoria censentur, quæ sunt auctoritate Episcopi erecta, in quibus divina publice celebrantur, omnibus ad ea indifferenter admissis, & campanulam

habent

habent super tectum ad convocandos fideles . num. 33. Multo minus loca sacra reputantur, quoad hunc effectum, dormitoria, cellæ, officinæ, & cætera Monasterii loca, licet a Prælato quotidie aqua lustrali benedicta . nu. 34.

37. *Sacrilegium* contra res sacras in materia luxuriæ committitur, abutendo vestibus sacris, corporalibus, calice, &c. vel Sacramentis, & præcipue Eucharistia ad actus venereos . Tract. 26. cap. 6. nu. 35. Similiter committit sacrilegium Sacerdos, qui Eucharistiam gerens in peccatum luxuriæ, sive internum per morosam delectationem, complacentiam, desiderium, aut consensum ; sive externum per verba obscæna, vel turpem actum incurrit . num. 36. Similiter quicumque post sumptam Eucharistiam, dum adhuc species sacramentales in pectore sunt, fornicatur, aut polluitur . Item Sacerdos qui sacris vestibus indutus, & paratus ad celebrandum, copulam, aut pollutionem haberet : non tamen ex hoc vestes pollutæ censerentur, nec nova benedictione indigerent ; quia de hoc nullum extat Ecclesiæ decretum . num. 37. Qui gestans Reliquias, aut Agnos cereos fornicatur, sacrilegium non committit ; quia, (ut supponitur,) id non facit in eorum contemptum, & illa gestatio de materiali se habet, nec prædictis Reliquiis directe opponitur actus venereus, sicut Eucharistia . Si Reliquiæ Sanctorum, aut Agnus cerei dentur amariæ in signum amoris, vel gratitudinis ; licet talis donatio indecens sit, non est tamen sacrilegium, nec simonia : esset autem sacrilegium, & simonia si darentur in pretium turpis actus . n. 38. 39.

38. Peccans carnaliter tempore sacro, aut festivo, probabilis est non committere sacrilegium . Excipe, si quis v.g. feria sexta majoris hebdomadæ notorie fornicaretur, aut scortum circumduceret ; ob specialem oppositionem, &c. Tract. 26. cap. 6. num. 40. Licet convenientissimum sit, conjuges a communione abstinere eo die, quo copulam habuerunt ; non tamen erit sacrilegium,

aut peccatum mortale, sed ad summum veniale, si fiat communio paulo post : Idem dicendum de patientibus pollutionem nocturnam, quæ fuerit venialiter peccaminosa ; ac de iis qui pollutionem voluntariam habuerunt, quæ fuerit pro penitentia sacramentum expiata, propter turpes cogitationes, & magnam mentis distractionem, quas talia causare solent : Quod si ex omissione communionis sequatur scandalum, aut occurrat magna festivitas, vel Jubilæum, & cogitationes illæ sedatæ sint : similiter si pollutio nocturna nullo modo culpabilis fuit, nec reliquit mentis distractionem, aut turpes cogitationes, non erit ullum peccatum ea die communicare . num. 41.

CAPUT III.

De vitio contra naturam .

s. I.

De mollitie, seu pollutione .

39. *Vitium contra naturam est indebitus venereorum usus, contra ordinem naturæ .* Tract. 26. cap. 7. num. 1. Dividitur in quatuor species, quæ sunt : mollities, sodomia, bestialitas, & in naturalis copulæ modus, ex quo generatio sequi nequeat . num. 2. Mollitiem, bestialitatem, & sodomiam distingui specie, definitum est ab Alexandro VII. In naturalis copulæ modus cum sœmina in vase præpoltero, est etiam peccatum specie distinctum ab aliis tribus : alii vero monstruosi, & inordinati coeundi modi, si adfit effusio feminis extra vas debitum, aut pollutionis periculum, reducuntur ad peccatum mollitiæ : si vero tale periculum absit, cum nullo modo impediatur generatio, non erit peccatum contra naturam ; nec culpa gravis : (quoad conjuges :) immo si iusta causa adfit, aut necessitas, nullum erit peccatum . num. 4. Inter prædicta confide-

Y 2

rata

vata secundum propriam speciem, congressus cum Dæmone gravior est omnibus, deinde, bestialitas, deinde sodomia perfecta. n. 5.

40. *Mollities seu pollutio, est voluntaria seminis effusio.* Est grave peccatum contra naturam. *Tract. 26. cap. 7. num. 7.* Pollutio habita tactibus propriis, non distinguitur specie ab ea, quæ habetur tactibus alienis sive ejusdem, sive alterius sexus, (nisi illa tertia persona esset sacra, vel conjugata,) aut alio instrumento quocunque: addetur tamen nova circumstantia scandalosa, si detur inducitur alterius ad peccatum. Quare si quis pollutuatur tactibus personæ habentis votum castitatis, aut personæ conjugatæ; aut ad hos tactus illam personam induxerit: has circumstantias debet in confessione explicare. num. 9. 10. Si dum quis se pollutum habet delectationem morosam, aut desiderium alicujus personæ sacræ, conjugatæ, vel solutæ, aut ex vi hujus desiderii, delectationis, aut turpis cogitationis in pollutionem voluntarie labitur, debet has circumstantias in confessione explicare. num. 12. Ob nullum finem, etiam ob vitam confesandam potest directe extra matrimonium semen voluntarie effundi. Semen corruptum, & in damnum individui vergens potest licite medicamentis in alium hamorem resolvî; non tamen licet illud fricatione, aut alio quocunque modo pollutionem excitare expellere; quia semen ut subest actioni illi, & motui, quibus ministratur, est ita in actu secundo, ultimo, & complete ad finem generationis determinatum, ut in nullo casu voluntarie possit ministrari, vel ad alium finem ordinari, quin committatur peccatum mortale contra naturam. num. 15. 17. 22. 27. Seminis emissioni, sine culpa jam e lumbis decisi, etiam ob salutem individui cooperari non licet; quia per voluntariam cooperationem, illa effusio, quæ foret mera naturalis evacuationis, fit libera, & voluntaria ministratio, ac proinde formalis pollutio. *Tract. 13. disp. 8. nu. 237. Tract. 26. cap. 7. n. 31.*

41. Si uxor post copulam, & seminationem mariti, adhuc non feminavit, potest licite immediate post, se tactibus ad seminandum excitare. Non peccat mulier, quæ post copulam statim mingit, aut se erigit, nisi id faciat ex intentione emitendi semen susceptum. *Tract. 26. cap. 7. n. 29. Diffiliatio est ejectionem tertii humoris mediæ, inter urinam, & semen, emissio; qui humor est femini similis, substantialiter tamen ab eo distinctus; & quod non est ita mordax, ac grossus, nec in tanta copia, nec cum adeo vehementi carnis commotione emittitur, immo multoties sine ulla. num. 32. Si diffiliatio notabilis ex debilitate complexionis, aut ex alia causa naturali omnino involuntaria accidat, circa illam mere passive, & absque ullo in delectationem consensu se habere, nulla est culpa. num. 33. Si diffiliatio sit levis, & sine ulla carnis commotione, de ea nihil curandum. Si notabilis diffiliatio sit voluntaria in se, vel in causa, proculdubio est peccatum mortale. Si notabilis diffiliationis causa, est lasciva, & evitabilis, tenetur quilibet eam sub mortali vitare: si vero sit inevitabilis, passive se habere debet circa illam; nisi simul insurgant carnis commotio; & venerea delectatio, quia tunc obstitere debet, ne positive consentiat. nu. 35.*

42. Causæ pollutionis sunt in duplici differentia; nam aliæ dicuntur causæ per se, aliæ per accidens. Causa per se est, quæ directe, & ex natura sua ad pollutionem tendit; licet dicuntur causæ per se mortis, insidiosa vulneris lethalis, & propinatio veneni; & hujus generis sunt respectu pollutionis, tactus in pudendis, cogitationes venereæ, & sensuales de rebus turpibus, & omnes actiones illicitæ de genere luxuriæ, de quibus, in quantum pertinent ad imputabilitatem, actum est cap. 1. §. 3. hujus tract. Causæ per accidens appellantur, quæ non directe, & per se tendunt ad pollutionem, sed concurrunt ad illam, quia per se habent producere aliquos effectus, quibus jungitur præter intentionem;

nem agentis, & naturæ pollutio; sive hoc contingat propter solum influxum causæ per se, excitatæ tamen a causa per accidens; sive ipsæ causæ per accidens suo modo influant coadjuvando causas per se: & hujusmodi sunt, immoderatus cibus, & potus, audire confessiones mulierum, equitatio, & omnes actiones, sive licitæ sive illicitæ extra genus luxuriæ, ex quibus potest oriri pollutio. *Tract. 26. cap. 7. num. 36.* Ex causis per se quædam sunt leves, quædam graves, quædam vero quasi mediæ. Leves dicuntur, quæ non influunt notabiliter in pollutionem; sunt enim ita tenues, & modicæ virtutis, ut non habeant sufficientem vim ad illam in quocunque eventu causandam, licet coadjuvent; & ideo si sequatur, non in illas simpliciter reducenda est, sed in alias graviore, vel in ipsam naturam, ejusque vim expulsiivam; unde tales causæ in nullo eventu dicendæ sunt graves, aut notabiliter influentes, neque prohibite sub mortali, licet crebro pollutio, aut venerea delectatio illas comitetur, vel in eis prævideatur, secluso periculo consensu: & hujusmodi sunt: aspectus faciei feminæ, tactus levissimus digiti, manus, vel pedis, præsertim sine mora. *Tract. 13. Disp. 10. n. 268. 274.*

43. Graves sunt, quæ in pollutionem notabiliter influunt, & ex se habent sufficientem vim ad illam, absque alterius causæ admiculo inferendam, quales sunt: aspectus humanæ copulæ, aspectus & tactus pudendorum, & maxime inter personas diversi sexus puberes, & similia; inter quas causas numerari solent etiam amplexus, & oscula furtiva: quæ omnia, sive in eis intendatur delectatio ex copula cogitata, ad quam incitant, & disponunt; sive delectatio venerea, quam causare solent, etiam sine relatione ad copulam; sive delectatio pudore sensibilis, semper sunt peccata mortalia. Causæ per se quasi mediæ sunt, quæ nec absolute graves, nec absolu-

te leves dici possunt, sed promiscue aliquando inter has, aliquando inter illas computandæ, attenta potius dispositione, & inclinatione subiecti, quam illarum natura: licet enim habeant sufficientem vim ad pollutionem, vel delectationem veneream causandam, dependent tamen in sua efficacia a prædictis subiecti dispositionibus; & ideo in aliquibus, dictos effectus frequenter, in aliis raro, in aliis vero rarissime causant. Tales sunt aspectus proprii, vel alieni corporis ejusdem sexus usque ad verendam, & in alieno sexu, usque ad partes vicinas exclusive: aspectus curiosus hominis natantis, a persona diversæ sexus: aspectus imaginis turpiter depictæ; vel coitus, ut partis genitalis brutorum excitatæ: proferre, aut canere turpia ex levitate, secluso scando; tactus pudendorum supra vestes, ex joco: amplexus, & oscula joco habitata. *Tract. 13. disp. 10. n. 274. Tract. 26. cap. 7. n. 37.*

44. Ut dictæ causæ pollutionis sint causæ morales, malitiamque præferant, necesse est quod dum applicantur, cognoscatur virtus earum, ut sic sint volitæ formaliter ut causæ; nam ei, qui causæ virtutem non agnoscens, vel non advertens illam applicat, effectus inde secutus voluntarius dici non potest. *Tract. 26. cap. 7. num. 39.* Judicium de prædictis causis quoad gravitatem, vel levitatem, proinde quantum ad prohibitionem sub mortali, vel veniali intra genus luxuriæ, omnino ferendum est, habito respectu ad influxum actuale, qui de facto detur, vel prudenter timeri debeat, quidquid sit de virtute, & natura causæ. Ideoque quantumvis causa aliàs gravis sit, si tamen hic & nunc, attentis omnibus, certo cognoscatur, vel prudenter judicetur, quod non influat in pollutionem, vel notabilem commotionem, undeunque id proveniat, non est reputanda inter causas notabiliter influentes. Multoties enim causa secundum se levis, respectiva ad subiectum veneris deditum, aut complexio-

ais validissimæ, & pronæ ad luxuriam gravis erit, & graviter influens: Contra vero causæ quæ secundum se gravis est, respectivo ad subiectum venerea ab horrentis, aut quod ratione infirmitatis, vel mortificationis appetitus sensitivi, nullam commotionem experitur, levis erit, utpote hic & nunc leviter, aut nullo modo influens in pollutionem. *Traçt. 26. cap. 7. n. 41.*

45. Tenetur voluntas sub mortali causam amovere jam positam, statim ac pollutionis, aut venereæ delectationis periculum animadvertente. In dubio quoad causas graviores, possessio stat pro periculo; & ita eo ipso quod de securitate non conficit, debet illud timeri, & causæ sub mortali vitari: quoad causas vero medias videtur possessio stare pro voluntate. Quod autem in praxi, plures ex gravibus causis in omni eventu, independentes ab earum inflexu ad mortale damnentur; hoc est quia etiam dato quod non influant, attamen vel scandalum aliis datur, vel graviter humana offenditur reverentia, aut saltem decentia hujus, vel illius status. *Traçt. 13. Disp. 10. num. 273. 276. 277.* Si quis cognoscat sibi adesse periculum proximum, vel probabile consensus in pollutionem, aut turpem delectationem, tenetur sub mortali non apponere causam, ex qua pollutionem securam prævidet. Excipe casum, quo necessarium esset mederi foeminae, & non adesset alius medicus; tunc enim poterit ille, præmissis non consentiendi propositionibus, & invocato divino auxilio, ad medendum accedere. Ex cujusvisque causæ applicatione intendatur pollutio, semper committitur peccatum mortale. *Traçt. 26. cap. 7. n. 42.*

46. Si causæ applicata ita per se, & directe influat in pollutionem, ut nullum alium effectum per se producat; aut si alium habeat effectum, qui bonus sit, ad hunc tamen non perveniat, nisi mediante pollutione, talis causæ, ob nullum finem, aut necessitatem applicari potest, absque peccato mortali. *Traçt. 26. cap. 7. num. 43.* Si causæ per se no-

tabiliter influens in pollutionem æque simul, & immediate habeat causare etiam alium effectum bonum, v. gr. fanitatem; tunc gravi occurrente necessitate, licitum est dictam causam applicare in ordine ad effectum bonum, pollutionem minime intendendo. num. 45. Applicare sine gravi necessitate causas per se notabiliter in pollutionem influentes, ob pollutionem inde prævisam, licet non intentam, est peccatum mortale. num. 47. Applicare causas pollutionis, quæ dicuntur mediæ, erit peccatum grave, vel leve pro qualitate, & dispositione subiecti: & ideo si talis applicatio in aliquo subiecto frequenter inferat pollutionem; erit respectu illius peccatum mortale; respectu vero ejus, in quo raro illam causat, erit veniale; aut forte nullum, si rarissime. num. 48. Probabile est non peccare mortaliter eum, qui prævisam patitur pollutionem ortam ex fricatione pudendorum, ad sedandum magnum prurimum. num. 49. Causæ per se leviter influentes in pollutionem, solum sub veniali, deficiente honesta necessitate, vitandæ sunt: quælibet autem honesta necessitas vel utilitas, quæ sine aliquo incommodo nequit omitti, illarum applicationem a culpa liberabit: dummodo applicatio non fiat in subiecto, in quo urgentes tentationes venereæ, cum magno consentiendi periculo frequenter excitantur, aliquando etiam consentiendo. num. 50.

47. Solum tenentur homines, sub veniali, vitare causas per accidens pollutionis in eis prævisæ, quando ad eas applicandas nulla cogit necessitas, vel utilitas; si vero aliqua necessitas, vel utilitas adsit, ab omni culpa etiam levi excusantur, præcisio tamen proximo consensus periculo. Quare si quis ex equitatione, aut ex eo quod audiatur confessiones mulierum, aut præparet lectionem de rebus venericis, aut alloquat foeminam de more, & juxta consuetudinem patriæ, prævideat sibi futuram pollutionem, non tenetur, præcisio periculo consensus, ab his abstinere. *Traçt. 26. cap. 7. num. 51. 53.* Si cau-

fa

sa per accidens pollutionis sit aliàs culpa levis, aut gravis extra genus luxuriæ, non est obligatio eam vitandi sub mortali, ratione pollutionis prævisæ, sed tantum sub veniali. Quare licet ebrietas sit peccatum mortale contra temperantiam, & ex hoc capite sub mortali vitanda sit; attamen prout est causæ per accidens pollutionis in ea prævisæ, præcisio periculo consensus in eam, solum sub veniali vitanda est. Immo etiam si causæ prædictæ per accidens fieret peccatum grave, intra genus luxuriæ, ratione finis adjuncti ab operante: ut si quis comederet calida ut fieret potentior ad fornicandum; adhuc non imputaretur ad mortale pollutio, in illa commestione prævisæ, si nec intendatur, nec adsit periculum consensus in eam; quia talis finis non cooperatur ad pollutionem. num. 54. Non est mortale comedere ex appetitu cibos calidos, & statuos, etsi in eis prævideatur pollutio, si tamen non intendatur; maxime si alios cibos facile comedere non possit. Accubans sic, vel aliter, etsi prævideat sibi eventuram pollutionem, secluso consensus periculo, non tenetur alio modo accubare, maxime si utilitas aliqua, aut majus commodum ex tali accubatione habeat. n. 55.

48. Pollutio nocturna secundum se considerata nullum peccatum est. *Traçt. 26. cap. 7. num. 66.* Causæ pollutionis nocturnæ, vel est corporalis, scilicet superabundantia feminis, aut nimia corporis calefactio: vel est animalis intrinseca, nempe cogitatio de rebus venericis; quæ duplex esse potest, nimirum vel pure speculativa v. gr. disputationis causa; vel carnalis, & venerea: vel denique est spiritualis extrinseca, ut cum demonis opera commoventur phantasmata dormientis ad semen emittendum. Præterea pollutio in somnis tripliciter potest evenire: primo ita quod sit tota in somnis: secundo inchoata in somnis, & consummata in vigilia: tertio ita quod feminis emissio partim sit in somnis, & partim in vigilia. num. 69. Qui ponit aliquam ex prædictis causis eo animo,

ut pollutio in somnis sequatur, peccat mortaliter. num. 70. Si causæ corporalis pollutionis nocturnæ est nimia corporis calefactio, procedens ex nimio potu, vel cibo ratione appetitus sumpto, etsi in ea prævideatur pollutio, erit venialis, ratione causæ, non quia causæ sit venialis, (poterit enim aliquando nimis potus, & cibus esse peccatum mortale;) sed quia vel dicta causa leviter influat; vel ex obligatione sub veniali tales causas vitandi. Quod si dicta causa nullo modo sit culpabilis, vel quia v. grat. non habet alios cibos, quos sumat, nisi illos calidos, & aliàs pollutionem non intendat; vel quia pollutio tota fuit ex superabundantia feminis, tunc nec in se, nec in causa culpabilis erit. nu. 71. Si pollutio nocturna contingat ex causa animalis interiori pure speculativa, talis pollutio in somnis contingens, non est culpabilis ullo modo nec in se nec in causa. Quod si speculatio, vel disputatio sit cum affectu ad objectum venerum, tunc pollutio inde orta, ita erit culpabilis in causa, sicuti ipse affectus culpabilis fuit. n. 72.

49. Si pollutio nocturna proveniat ex causa spirituali extrinseca, tunc nulla est culpa, cum tota causæ sit demonis malitia. Quod si quis frequenter hoc sibi contingere advertat, & negligat se præmunire contra demonis insultus, a Deo, & Sanctis in vigilia, opem implorando, tunc erit culpabilis juxta gradum negligentie. *Traçt. 26. cap. 7. nu. 73.* Si pollutio nocturna tota consummetur in somnis, nullo modo erit in se culpabilis, cum sit omnino involuntaria; si vero incipit emissio feminis in somno, & completur in vigilia, si voluntas non consentit, non est peccatum saltem mortale, licet sensualitas ea delectetur. Si vero in somnis sola commotio carnis incipiat, & tota emissio feminis contingat in vigilia semiplena cum delectatione sensualitatis, erit peccatum veniale, ratione delectationis non plene deliberatæ: si autem emissio tota contingat in vigilia perfecta, & cum plena advertentia ad cohibendum; non tenet-

ne-

netur sub mortali, secluso periculo consensus, illam positive cohibere; sed fat est pollutionem pati negative ad illam se habendo, implorando divinum auxilium ne in illam consentiat. num. 74. An pollutionem in somnis evenientem desiderare liceat, & de illa gaudere. Vide tract. 1. n. 58.

§. II.

De sodomia, & bestialitate.

50. Post pollutionem inter peccata contra naturam sequitur sodomia, quæ licet sit peccatum gravius mollitiæ, bestialitate tamen levius est. Sodomia definitur a D. Thom. *Concubitus ad non debitum sexum, puta masculi ad masculum, vel femine ad feminam.* Tract. 26. cap. 7. num. 76. 77. Accessus femine ad feminam, sive in vase anteriori, sive posteriori est vera sodomia. num. 80. Si vir cognoscat feminam in vase præpostero, non est vera sodomia, sed peccatum contra naturam essentialiter, & specificè ab ea diversum, quod ob defectum nominis, dicitur innaturalis coeundi modus; & hoc est probabilis. num. 82. Si quis masculus supercubans super masculum polluat, secluso animo coeundi cum eo; satis est quod in confessione dicat: alienis tactibus pollutum sum, quia ibi tantum datur malitia pollutionis. num. 85. Probabilis est non esse necessarium in confessione explicare an in peccato sodomie fuerit agens vel patiens. num. 87. Ad essentialitatem sodomie non requiritur seminatio intra vas præpostero, sed tantum ad illius complementum, & ut sit undequaque perfecta. num. 87. Probabilis est, quod omnes coitus sodomitici, sive proprie, sive improprie tales habiti inter consanguineos, vel affines in linea recta, vel transversali, & inter cognatos legales, aut spirituales, induant speciem incestus in omnibus illis gradibus, quos vel natura, vel jus, Ecclesiasticum,

in ordine ad matrimonium prohibet: & omnes isti incestus sodomitici, diversificantur specie inter se, sicut incestus ex copula naturali. n. 92.

51. Sodomia cum persona ligata voto castitatis, contrahit speciem sacrilegii. Si adfit violentia, contrahitur malitia raptus. Sodomia cum femina virgine, non addit novam speciem. Circumstantia matrimonii addit copulæ sodomitice speciem adulterii. Tract. 26. cap. 7. num. 98. 99. 100. Ex copula sodomitica non contrahitur affinitas; ad hoc enim requiritur copula sufficiens, & apta ad generationem prolis; ad contrahendam autem speciem incestus, non requiritur copula ex qua oriatur affinitas, sed sufficit accessus ad personam sanguine conjunctam. num. 103. Sodomia jure divino, & etiam civili pena mortis punitur. num. 104. 106. Jure canonico sæculares sodomitice excommunicari debent, & a fidelium coitu separari: sunt infames: & potest a marito sodomita uxor discedere, sicut ab adultero. Clerici tam sæculares, quam Regulares Sodomitice a Clero sunt deiciendi, omnique officio, dignitate, ac beneficio privandi, & degradati per judicem Ecclesiasticum Potestati sæculari tradendi sunt. num. 107. Ut dicte pœnæ incurrantur, necesse est quod sodomia sit consummata, & perfecta per seminationem intra vas præpostero. Similiter ut dicte criminis reservatio incurratur. num. 109. Clericus bullæ pœnas non incurrit, in probabiliori sententia, per coitum consummatum cum femina in vase præpostero, non enim est vera sodomia. num. 111. Nec talis coitus cadit sub reservatione sodomie, sed tantum sub reservatione peccati contra naturam. Idem dicendum de coitu, quo femina medio aliquo instrumento, aut sine illo semen immittit in vas præpostero pueri succubi. Coitus autem, quo femina medio instrumento, vel sine eo semen immittit in vas naturale, sive præpostero alterius femine, cum sit vera sodomia, comprehenditur sub reservatione peccati contra naturam, tum etiam sodomie. n. 112.

52. Pollutio voluntaria orta ex lasciva cogitatione, aut desiderio turpi, absque ulla exteriori cooperatione, non cadit sub reservatione peccati contra naturam: similiter nec pollutio procurata, & voluta in causa per accidens, bene vero pollutio procurata, & voluta mediante causa per se notabiliter influente. Tract. 26. cap. 7. num. 113. 114. 115. Pœnæ contra sodomitas in Bulla statutæ comprehendunt non solum sodomitas agentes, sed etiam patientes in probabiliori sententia. num. 116. Ad incurrendas prædictas Bullæ pœnas, probabilis est non sufficere unum actum, sed frequentia requiritur. num. 121. Clericus exercens sodomiam, non incurrit ante judicis sententiam, pœnas in Bulla per S. Pium V. statutas, etiamsi sit notorius torietate facti, sed requiritur sententia lætem declarativa criminis. num. 125. Infamatus infamia facti de execratio sodomitico, non est ipso facto suspensus suspensionis censura, nec incurrit irregularitatem, si perfecta poenitentia, & publicata emendatione celebret: si vero non perfecta poenitentia, vel ea non publicata celebret, sit irregularis, non ratione censura, sed criminis sodomie. Si autem infamatus de sodomia infamia juris celebret, est ipso facto suspensus, & incurrit irregularitatem summo Pontifici reservatam, in qua nec Episcopus, nec Prælati Regularis possunt dispensare. num. 126. Clericus exercens crimen bestialitatis, non incurrit pœnas in præfata Bulla contra sodomitas contentas. nu. 129. Ubi sodomia non est Episcopo relevata, quilibet Confessarius potest ab ea absolvere. num. 133. Crimen sodomie est mixti fori. num. 134. Probabile est, & in praxi tutum, posse Prælatos Regulares Religiosum sodomiam exercentem punire. num. 136. 138. "Copula frigida, & eunuchi est peccatum contra naturam, pertinens ad hanc quartam speciem. Tract. 24. Disp. 6. n. 124.

53. Bestialitas est concubitus cum individuo alterius speciei. Tract. 26. cap. 7. num. 139. Non est opus in confessione

explicare diversitatem speciem animalem, cum quibus quis coivit; quia hæc diversitas non mutat speciem bestialitatis: neque necesse est explicare circumstantiam agentis, vel patientis. num. 140. Congressus cum demone sive succubo, sive incubo est proprie peccatum bestialitatis; & est etiam peccatum superflitionis; & potest insuper plures alias species superinduere, v. g. adultærii, sodomie, fornicationis, &c. pro diversitate forme assumptæ a demone, & juxta affectum peccantis cum eo. nu. 141. Reservata sodomia, non censetur reservata bestialitas, nisi exprimaturnum. 143.

TRACTATUS VII.

De septimo, & decimo Decalogi præcepto.

PROŒMIUM.

CUM in septimo Decalogi præcepto prohibetur furtum; & quæquædam hæc proximi in bonis temporalibus, quorum jus, dominium, & possessionem ex aliquo justitiæ titulo habet; & in decimo consequenter omnis actus internus desiderii, & complacentiæ: rectus ordo postulat, ut prius de justitiæ & jure, ac de dominio, & possessione, deinde de furto, & restitutione, ac denique de contractibus, qui sunt materia justitiæ, tractetur.

CAPUT I.

De justitia, & jure.

1. IUS tripliciter sumitur: 1. pro lege statuente quid ex justitia sit cuique tribuendum; de quo actum est. Tract. 1. cap. 4. secundo pro legitima pote-